

50  
Σὺν τῷ Θεῷ Γεωβελτίσῳ καὶ Γεωμετρίσῳ.  
DISCURSUS PHILOSOPHICUS

De

TERMINO VITÆ  
HUMANÆ,

Quatenus est à causis secundis;

In Regiâ Academiâ Aboënsi,

*Censente & consentiente Amplissimâ Facultate Philosophicâ;*

SUB PRÆSIDIO

*Præclarissimi VIRI,*

DN. M. PETRI LAURBECCHII,

Poëti Professoris ordinarij celeberrimi, Pro-  
motoris & Fautoris strenuè observandi;

*Pro Privilegijs & Laureâ Magisterij Consequendis,*

*Sobriam & ingenuam Philosophiam sectantium relictâ*

SUBMISSUS

à

JOHANNÉ ERLANDI COLLIANDRO,

Wexionensi, Alumno Regio.

*In Auditorio Superiori & Maximo, ad diem V. Decembris,*

ANNI M. DC. LXXIV.

ABOÆ,

---

Excusus à PETRO HANSONIO, Acad. Typogr.

S. R. M. <sup>is</sup> FIDELISSIMO,  
Nobilitate & Amplitudine præclaro, Rerumq;  
Civilium Consultissimo,

Dn. ANDRÆ Gyllenkrook /

Domino in Kaulansjö / &c. &c. Dicasterij Regij, quod  
Aboæ est, Assessori gravissimo; Ditionis Kymmene-  
gård Territoriali Juridico, nec non in Comitatu  
quodq; Raseburgensi Vice-Juridico Provinciali  
& quillimo; Patrono ac Mecænati meo devotâ  
veneratione suspiciendo:

UT ET

Præcellenti VIRO,

Nobilissimo ac Consultissimo

Dn. SAMUELI Gyllenstålpe /

Hæred. in Kerrenheim / &c. in Regiâ Acad. Aboënsi,  
Phil. Præct. & Hist. Professore celeberrimo; Pro-  
motori benevolentissimo, mente obse-  
quiosâ jugiter colendo:

DENIQ;

Prudentiâ & Integritate Conspicuo VIRO,

Dn. JOHANNI Stålböhm /

Redituum in Comitatu Wasaborg Inspectori spe-  
ctatissimo, Evergetæ promptissimo, sem-  
per & fideliter observando:

GRATIAM, FELICITATEM ET ANNOS

P. M. P.

**J**nvisa atq; odiosa habetur Aquila, quæ Æschylum, sacrum istum va-  
stem, saxum esse rata, demissâ in ejus albicantem calvitium testudine  
occiderit. Quorsum autem hæc? Admonet nos improvisus iste tanti  
Viri casus fragilitatis hum. vita, atq; adeo inter tot incerta, morte ipsâ  
nihil nobis esse certius. Fumus est hæc vita nostra, bulla item ac nebu-  
la. Rectè Calidorus ille Plautinus:

Quasi herba solstitialis paulisper fui:

Repentè exortus sum, repentino occidi

Punctum est, quod vivimus, & adhuc puncto minus. At quot interea  
malorum myriades nos infestant? Sexcenta morborum sunt genera;  
mille casus & ruinæ, ceu naufragia, venena, lapsus, fulmina,  
& quid non? Si benè calcuos ponis: Mors ubiq; præsto est. Et nos  
tamen vivimus, tanquam nunquam morituri, nihil, aut parùm certè  
de illo solliciti die, qui de nobis dicturus est sententiam. Non succurrit no-  
bis nostra fragilitas, nec cogitamus nîpegræ nos esse animalia, quibus  
vita mensura dies datus est, ignari item nullam vitæ fidem esse, maxi-  
mam morti. Sed quid conor nunc hoc tantum æquor tranare? Unum  
hoc dico; Quovis novissima non meditatur, quantumcumq; vivit, mi-  
serè vivit; cum moritur, opinione fama moritur, nec ullâ sui parte vi-  
tabit Libitinam. Ecce autem! Habetis heic jam, Viri Genere &  
dignitatibus clarissimi, si non omnibus numeris absolutam, qualem-  
cumq; tamen, & ut spero, piam atq; in hoc effæto mundi seculo jugi me-  
ditatione dignissimam, communis nostræ mortalitatis imaginem. Eris  
hoc, quicquid est, etiam Vestra meditationi sacrum. Non utor flexu-  
ris verborum, nec, quæ seculi nostri subdola fraus est, caudâ adulan-  
tiam ritu canum, inverecundâ favorem vestrum ambio blandiloquenti-  
â. Dico quod sentio, sine fuce, sine affectatâ eloquentiâ. Sacerdo-  
tes Egyptiorum numina sua devenerantur quiescente lingua offi-  
tio: Mibi verò qui conveniat tam religiosum silentium? Non amat taceri  
prolixus iste vester in literatos omnes favor, quem si vel maxime mea  
non depradicaret infantia, loqueretur tamen gratissima illa, de Vobis  
hactenus sparsa, & porro posteritati tradenda, fama. Ornabat olim Te-  
rentianus ille Parmeno heri sui munus verborum non invenistiâ

X: 2

periphrasi;

periphrasi; Et ipse pariter, dum hoc sive donarium, sive debitum (vestra hæc erit benignior interpretatio) in sinum Vobis inferere studeam, longioris sermonis apparerem texturam, nisi humanitatem Vestram viderer habere velle suspectam. Diu est, quod didici, probis & ingenuæ simplicitatis amantibus odio esse Gnathonicam illam loquendi rationem. Serio igitur credite rogare me Vos, Mecœnates, ut quem ipsi Musis Vos debere fatemini adfectum, me quoque vel tantillum experiri patiamini. Volui heic primâ fronte, simul cum meo, Vestra signare Nomina, neque id gratis: ac meum quidem, ut devotissima mentis, quam Vobis debeo, si non specimen, ac saltem species qualiscunque extaret, & simul quanti Vos faciam, quantumque à Vobis porro sperem, cognosceretis ipsi; Vestra verò, ut pareat Vobiscum dignitate ac aestimatione, spectarent liberalissima atque adeò inexpugnabilis Vestra in literas, & his additos, comitatis exemplar. Erit proinde hoc ipsum sanctum & ipsâ invidiâ superius, testimonium, & Vos Musis, & has vicissim Vobis esse cordi. Valete Musarum Fautores & deliciae! Spes item meæ! Vive quam diutissime, Nobiliss. Dn. Assessor! & antiquam illam congenita virtutis indolem seculis deponere, consecratam Annalium perennitati! Vive, inquam, ac non nisi sento fessus atherias sedes, cognataque sidera tange! Vive & Tu, Nobiliss. Dn. Professor, in prolixam seculi famam, laudatissimamque Gyllenstolpianæ familiae speratum ornamentum! Denique & Te, Spectatissime Dn. Inspector, valentem, & diu terris his supersitem, præstet antiqua illa Tua integritas! Vivite singuli, non quæ vivere, sed quæ valere est, vestram! Id unice cupit

Dabam è Museo meo  
25 Novembris  
Anni 1674.

Vester adfectu & officij Torus,  
JOH. COLLIANDER.

ANTE.

## ANTEAMBULO.



Mota jam diu est nobilis illa quaestio: Fatalisne sit vita nostra terminus? In quâ decidenda diversa desudarunt ingenia, sed non æque feliciter. Alij enim, qui plus cæteris sapere volunt, dum ambitiosam obscuræ subtilitatis gloriam quaerunt, faciunt, ut cum Comico loquar, intelligendo nihil ut intelligant. Alij, dum ex astrorum inter se commercio vitam, affectuum impetus, læta ac tristitia, mortis denique, arbitrium nobis definiunt, adimunt nobis, quantum in ipsis est, eximium illud atque divinum, quo hoc nostrum genus à belluis discrepat, libertatis privilegium. Alij verò, dum tempora vitæ nostræ absolurâ, atque adeò illimitatâ circumscribunt annorum dierumque periodo, ut necessariò debeat iste terminus ab homine attingi, excedi verò aut anticipari nullo modo possit; divinam vel proflus negant, vel saltim audacter impugnant providentiam, virtutum item ac vitiorum nullum hæc in re discrimen faciunt. Medici denique, aliam ingrediuntur viam, & pro cuiusque sive firmiore sive debiliore temperamento, vitæ terminum nunc ulteriorem faciunt, nunc citiorem. Mihi quidem Sphingis hoc enigma viderur, ad quod solvendum Oedipi opus est expromtâ solertiâ. Et verò, si in alijs præcipienda non erunt judicia, utique; nec de hoc tam subtili argumento temerè judicaveris. Scio, quò inclinent è vulgo plurimi, qui antecedentium sectantur gregem, & non pergunt quâ eundum, sed quâ itur, haud examinantes inculcata, dum magistro creduli, satis habent in ejus verba jurare. Ego verò; quia jam certum est, quid super hæc re sentiam, dicere; dicam sine præjudicio, sine affectu. Sed neque inanes venabor subtilitates; quia fixum, litare tantum veritati. Et ne bonæ osor ac hostis habeat methodi: Accipe hæc, Benevole Lector, compendiarium, quam Tibidabo, totius Thematis ideam, ad 5. Capita contractam. I. Monstrabitur dari certum vitæ nostræ terminum. II. Unde is dependeat? III. An idem sit fatalis, & tamen nihilo secius mobilis? IV. An breviari vitæ nostræ possit, & quot modis? V. An item prolongari, & quibus mediis? Quæ omnia si feliciter, quemadmodum animus destinaverat, edocuero, ruli votum meum. Esto igitur

A

CAP. I.

## CAP. I. DE TERMINI VITÆ EXISTENTIA.

**C**atholica hæc mortalitatis lex est: *Quisquis ad vitam editur, ad mortem destinatur.* Omnes huic rei tollimur: hoc fatum ab utero statim nos prosequitur. Vetus hoc sacramentum est: *Morieris homo.* Stat sua cuiq; dies. *Est hora nascendi, est & hora moriendi.* Videlicet habebit quisq; quantum illi dies primus adscripsit. Non *ætati* heic parcitur, non *sexui*, non *conditioni*: Unus omnes contiget & exæqvabit cinis. Nulla *diademati* habetur reverentia, nulla *Regali folio*, nulla *radiantibus auro securibus*, nulla *candidis infulis*. Ubi jam sunt illi, quos olim orbis adoraverat, Terrarum domini? Reges loquor, Imperatores & Cæsares. Tulerunt fatum suum, & præter famam posteritati reliquerunt nihil. Dictatoriam *Mors* in omnes habet potestatem. Non solus *terseclisenex* moritur *Nestor*, etiam vagientes in cunis *infantes* mors occupat. Moriuntur *Catonæ*, moriuntur *moriones*; Urna tegit *Crasum*, urna tegit *Irum*. Quotidie præter oculos nostros transeunt notorum ignotorumq; funera: nascitur unus, moritur alter. Sic ætas succedit ætati: hæc antiqva mortalitatis scena est. Recte ergò ille eloquio Romanæ lingvæ *Qvirites* inter terribilissimus *Cicero*, *Mortem*, ait, *omni ætati esse communem.* Nec ab hoc dissentit ipse, cujus animi habitum, *Augustæ* historiæ *Scriptor*, Vir seculorum memoriæ dignus, nunqvam sine laude loqvendus, *Tacitus*, ingeniosissimè expressit, hæc agentis: *Mortem omnibus natura fecit æqvalem.* An taceam illum *Phœbo* dignissimum *Biantem Priensem*? Cui cum, captâ direptâq; patriâ, conjugem quoq; suam hostili mucrone interemptam fuisse, nunciatum est, graviter respondentem: *Non absq; Deorum id nutu factum esse, qui nascentibus singulis mox metas vitæ definiunt.* Adedò fixus est suus cuiq; terminus: *Quis enim vivit, & non videbit mortem?* Cum primum lucem hanc aspeximus, in hæc verba juravimus: Hæc conditione intravimus, ut exiremus aliquando. Quò transit orbis, & nos transibimus. Præter Deum, nihil est æterni. Datur ergò certus vitæ humanæ terminus, quod erat demonstrandum.

CAP,

## CAP. II. DE CAUSIS, A QUIBUS VITÆ HUMANÆ NATURALIS TERMINUS PENDET.

**C**irca hoc punctum quàm varient doctiorum judicia, longum erit edisserere. Apprimè huc quadrat illud veterum: *Quot homines, tot sententia.* Nimirum sicut habent scientiæ quævis sua sibi ac propria principia; Sic paritèr illæ singulæ, dies vitæ nostræ, decretoriâ quâdam lege, determinantur.

§. 1. Seqvaces *Æsculapij* omnes, minas ac promissa astrorum unice ac solitariè respicienda esse uno ore clamitant. Sic enim illi acutè, ut sibi videntur, disputant: *Si ex astrorum inter se nexu universa tellus vires accipit, & ad ubertatem, aut frugum internecionem, adigitur; item si annos, si secula vis illa definit: Quid mireremur, singula mortalia corpuscula inde vitam mortemq; trahere?* En consequentiam! Scilicet ex sideribus expectabo vitæ genus & mortis arbitrium? Quid ad hæc causæ universales ac remotæ?

§. 2. *Alij* në in cortice hære, sed rem propiùs attingere videntur, ultroneâ quidem confessione asserunt, quod sol & homo generent hominem; verùm plus iusto soli heic attribuunt. Quin nec tantùm solem, *Planetarum omnium verè principem*, sed & reliqua omnia sidera ad formationem hominis, tam præclarum tamq; illustrem effectum, concurrere, mutuasq; præstare dicunt operas. Hinc statas vices & distincta officia singulis adscribunt Planetis. Primo mense conceptionis, *ajunt*, primam massam exsiccat *Saturnus*; *Jupiter* pro eâ, quâ est benignitate, eandem secundo mense præparat & adauget; tertio verò *Mars* eam dividit & inurit, & sic consequenter de mense in mensem Planetarum reliqui destinatis officiorum defunguntur partibus; quemadmodum idipsum Astrologorum veterum dogmata notanter observantibus patebit ad oculos. Inde est, quod illa sive consociatio, sive disjunctio stellarum, quæ dominatur huic articulo temporis, quo infans in utero concipitur, futurorum in infante adfectuum, boni ac mali, vitæ & mortis femina producat. Unde nec alias agnoscunt illi *Parcas*, quæ nascentibus fata disponant. His affines sunt *fati Stoici Conditores*.

A 2

a 13

Terentius  
in Phorm.  
Act. 2. sc. 4.

Conf. Vend.  
cont. Phys.  
Sect. 3. c. 28

Videfis Joh.  
ab Indag. In-  
trod. A. pote.  
in Astrol. nat.  
& compl. h.

atq; Patroni, qui omnia, quæ sunt, quæ agimus patimurq; , velis nolis, ad dura & plus quam tyrannica astrorum imperia, agi fieriq; docent.

§. 3. *Alij verò, quid acturi passurive sumus, ex positu stellarum, qualis ille, non quidem conceptionis, sed nativitatís tempore deprehenditur, censent atq; dijudicant. Sed errant utriq; totà, quod ajunt, viâ. Dum enim cœli benignitatem & influentiam circa hoc negotium nimis deprædicant, cœlo ipsi vim interunt atq; injuriam. Quò libertas mortalium, si à siderum præscripto recedere non possumus? Frustra Deum timemus & ambimus, si non possit aut nolit de nascentibus nobis ex astrorum consortio statuta inflectere. Ergone gratis sim virtutis cultor, vitiorum hostis? Quorsum præcepta & leges, si vim & impressionem stellarum non possum effugere? Quis porro erit medicine usus, si cœlum determinaverit quamdiu vivam, quando sim moriturus? An quia Ruben dives sit, Simeon pauper; hic felix, ille calamitosus, id statim omne cœlestibus debeatur facibus? Et deniq; de ἀποφάσεις quid sentiendum, & facinorosis alijs rotâ vel gladio pereuntibus, qui tamen omnes sponte hoc mortis genus sibi attrahunt; numne cœlestium corporum impetu ad tam indignam & prematuram adiguntur necem? Ego sanè sic mihi persuasi, sic sentio, de his, quæ à liberè agentibus suscipiuntur, actionibus, nullâ necessariâ ratione posse determinari. Largior ultro, stupendas stellis inesse vires: ex his enim sereni ac nubili dies, vis imbrium, turbines ac venti humano generi dispensantur. Illæ frigiditatis æstusq; dant nobis vices, tenebrarum lucisq; discrimina. Scio deberi regnum interdiu Soli, noctu verò Lunæ: Scio item hæc duo Luminaria magna posita esse in signa venturorum. Sed agere sidera in voluntatem hominis, eamq; suo indeterminato influxu ad has vel illas actiones, quæ liberæ ac contingentes sunt, cogere aut determinare, id verò seriò pernego. Contradictorium quippe est, voluntatem liberam esse, & tamen aliunde cogi: Loquor heic de actibus voluntatis elicitis. Cogi enim dicitur id tantùm, quod à principio externo & non naturali movetur. Velle autem omne est, sponte ad aliquid ex se inclinare, sive ex interno principio ad id ferri; quæ duoutiq; simul consistere nequeunt. Dist. verò heic inter actiones hominis & humanas. Illæ, quia naturales sunt, & homini cum be-*

stij communes, astrorum imperia cætenus accipiunt: Hæ, quoad totalitatem suam, humani sunt solius arbitrij, astricq; corporis dominium prorsus fastidiunt. Nec tamen omnem heic damnavero Astrologiam; cum plurima, non modò in superiori mundo, sed & inferiori, partim necessariò, partim contingenter, pro diversitate causarum, unde hujusmodi effectus enasci produciq; possunt, prædicere liceat. *Saltem hoc dico: De eventibus in mundo hoc sublunari contingentibus, quales sunt maximè actiones humanæ, infallibiliter ex astrorum positu non posse præciri. Quod dixi de actionibus ex principio voluntario resultantibus, id magis multò de horâ mortis, de mortis genere, pronuntiare ausim. Dicam quod sentio: Stulta impietas est, profiteri se ea scire, quæ summa sapientia nos voluit nescire: Contrà, pia sapientia est, non ultra sapere velle, quàm finire scientiæ modus admittit. Nitor in hoc casu autoritate Wenderlini, nec tateri pudet. Sic enim ille de hæc re; Quæ Deus, inquit, voluit esse occulta, eorum impia est indagatio. Atqui vite nostre terminum Deus nobis voluit (addo ego quæ mortis horam) esse occultum. Ergo. vide eundem cit. loco. Longo seculorum plurium experimento compertum est, astra inclinare quidem, sed non, ut loquuntur, necessitare. Quid? Non habent Terrestria imperium in quicquam eorum, quæ prorsus dependent à libero arbitrio, qui magis ergo dominabuntur nobis tam superbè supra nos elevata sidera? Interminantur quandoq; nobis malevoli Planetarum aspectus duras & sinistrae sortes, quemadmodum & contrà promittunt non rarò benigniores illæ superæ φάσεις rerum latiores successus; Regula tamen manet immota: Qui præceptis adberent, sunt supra planetas. Et vice versâ: Representat quandòq; mortalibus justissimum illud Numen ea, quæ sibi non à Deo, sed sideribus metuerunt, idq; in vindictam impie credulitatis.*

§. 4. *Alij, Galenum & Avicennam læquuti, censent vitam nostram in 4 qualitatum; ex 4 Elementis promanantium, harmoniâ consistere, & præprimis in calidi & humidi proportionem, atq; a deo vitam tamdiu perennare, quamdiu calor naturalis perduret, seu iusta utriusq; pugnantis qualitatis permittio; & quia calor naturalis fugacissimæ simul & edacissimæ sit naturæ, semper cum partem humidi radicalis absumeret, donec & hoc exsicceetur, & il-*

Iterus Syn.  
Phil. Mor.  
l. 2. c. 10

p. m. 750.

Barcl. Argen.  
lib. 2.

Confer. Thō.  
Aquinat. de  
pæn. pecc.  
Orig. q. 5:

Gen. 11 14.

Hornei. Phil.  
Mor. lib. 2.  
Cap. 4.

Sænet. Epit.  
Nat. scient.  
lib. 3. c. 3.  
vid. Eschacij  
Maj. Scrutin.  
ingen. c. 5.  
Comen. Syn.  
Phys. cap. 5.

Instit. Phys.  
l. 7. c. 2.

Plato in Ti-  
mao, p. m.  
732.

Conf. Lactãt.  
2. de divinit.  
August. l. 15.  
de Civit. Dei  
Gen. 6. 3.

Psal. 90. 10.

Hornius  
Arc. Mos.  
p. m. 829

le suffocetur, & simul cum eo vita. *Nec verò aliter res se habet.*  
Nimirum Temperamenti vis magna est, prout enim illud fuerit  
sive validius sive debilius, sic inde de cujusq; vitæ termino erit ju-  
dicandum. Atque hanc *Mortem Naturalem* dico, quippe quæ à  
principio interno provenit. Scilicet, ut modò dictum, agit cali-  
dum in humidum, illudq; absorbit & exsiccat. Inde, deficiente tan-  
dem humido, calorem quoq; extingui necesse est. Ut enim Oleum,  
si sit impurum & minus limpidum (*verba sunt Sperlingij*) tandem  
de pasto nutrimento & relicta massa crassiori atq; inutili, ignem reddit  
extinctum; Ita & hoc nostrum radicale humidum calidum innatum  
it deperditum. Morte hac *κατὰ φύσιν* pereunt senes ac decrepiti, &  
quidem citra dolorem acutum. adisis Gerard. Joh. Woff. de Orig. &  
progr. idol. lib. 3. c. 20. item Avicennam l. 1. Fen. 1. Doct. 3.

§. 5. Sunt & *aliij*, qui in genere metiuntur hunc vitæ nostræ termi-  
num ex genjo nativo temporum, eumq; intelligendum volunt juxta  
secula, in quibus plures vel pauciores sunt anni. *Nec omni bi desti-  
tuuntur fundamento.* Constat quippe, ætatem vitæ hum. diversis  
temporibus fuisse circumscriptam. Circa tenera rerum omnium, quæ  
nunc sunt, primordia, ante Catholicum illum Cataclysmum, proten-  
dit se vitæ hum. terminus ad annos etiam DCCC. & ultra: fatente id  
quoq; Josepho l. 1. Antiq. Postea ad inferiores reducta est vita nostra  
calculos; utpote tempore *Noachi* ad CXX. ann. numerum. Postremò,  
circa tempora *Mosis* multò adhuc contractior reddita est vita nostra.  
Sic enim Propheticus exclamat Spiritus: *Dies annorum nostrorum  
sunt LXX. & c.* Nunc si quis à me quæreret causas hujus mutationis,  
dicerem non heic, *ut quidam volunt*, ad positionem cœlestem esse  
recurrendum; nec ad substantiam victus tantùm (*quo de dicendum  
inferius*) nec deniq; ad vim usumq; Medicinæ solùm, *quod pariter  
infra exponetur*; Sed in supereminentiore quâdam dispensatione,  
puta *divinâ*, acquiescendum esse.

§. 6. Nec verò *ἄξιοζοι* hoc cuiquam aut fide indignum vide-  
bitur, gentes alias alijs ad vitam protollendam aptiores esse. Id e-  
nim virturis habent in se *climatum* differentia, ut vitam reddant  
magis & minus productam. Hinc *Europæi septentrionales*, quia  
spiritibus sunt rigidis, *longævi*; *Asiatici* verò, quia molles & de-  
generes à viro, *vite* sunt brevioris.

CAP.

### CAP. III. DE TERMINI VITÆ FIXIONE, SIMULQ; DE EJUSDEM MOBILITATE.

Verfarum jam diu satis est omnium ore proverbium: *Fato homi-  
nes oriuntur, fato moriuntur.* Placet igitur ex hac occasione dispi-  
cere, *Num fatalis sit vitæ nostræ terminus?* Quod sic interpretor:  
*An terminus ille ita sit fixus & immobilis, ut* (quæ quorundam opinio  
est, quod & initio exposui) *necessariò debeat ab homine attingi, &  
excedi aut anticipari nullo modo possit; an verò è contrario sit mobi-  
lis?* Difficilis satis & implicatus nodus hic est, quem, nisi distin-  
ctim agas, solvere nequis. Sciendum ergò, Terminum vitæ alium  
esse *naturalem*, alium *praternaturalem*. Ille, quia fundatur in cau-  
sis naturalibus adeoq; necessarijs, necessarius quoq; est & absolutè  
positus. *Ratio:* Consumto enim à calore interno, ob diurni-  
tatem temporis, humido nativo, calor ipse contabescit, ob negati-  
onem pabuli, & sic necessitate quâdam naturali mors inducitur.  
*Hic*, ob annexam conditionem, nunc prolongari, nunc decurtari po-  
test, atq; sic hypotheticè necessarius est. Distingvunt Metaphysici, inter  
necessitatem *consequentis & consequentia*, seu, quod quibusdã idem est,  
inter necessitatem *absolutam & conditionatam*. Illã dicunt ens omne  
absolvi ab internâ variabilitate, & ab hypothese extrinsecâ alieujus  
conditionis, quæ necessitatem conditionatam facit, & ita necessita-  
tem contingentia admiscet. *Hæc* ex certâ quâdam suppositione as-  
sumit quandam invariabilitatem, atq; sic de se admistam habet con-  
tingentiam, *i. e. causam quidem necessariam non habet, sed tamen  
propter conditionem immutabiliter annexam non mutatur.* Desu-  
mitur autem hæc necessitas, vel ab *ætu existendi*, fundaturq; in com-  
munissimo isto principio: *Impossibile est idem simul esse & non esse;*  
vel à *causâ*, eaq; geminâ: *Supraturali*, aut *praternaturali*, quæ  
rursus vel *coactionis* est, vel *violentiæ*. Placuit hæc aliunde mutuari,  
atq; heic intexere, ut quid datâ de quæstione censendum sit, explica-  
rius cognoscatur. Dico Ergò, terminum vitæ naturalem necessari-  
um esse necessitate, non quidem *absolutâ* illâ, sed *hypotheticâ*. Posi-  
to enim hoc antecedente (*hominem peccasse*) non potest non sequi  
hoc consequens, *mors* scilicet, peccati stipendium. Inde inferitur  
necessitas

Frommius  
Syn. Met. l.  
2. cap. 9.

Scharfius  
Met. part. g.  
cap. 9.

Conf. Joh. Magiri Phyl peripat. l. 5. cap. 7.  
necessitas quædam moriendi *Physica*, quæ æstimatur ex necessario influxu & coactione causarum. Sic, ut repetam, quæ supra dixi, humido radicali à calore nativo absumto, certum est terminum huius vitæ necessariò adesse, adeoq; naturalitèr esse immutabilem, quia neq; intrinsecà neq; extrinsecà quarumcunq; causarum aliarum naturalium virtute auferri aut impediri facultas ejus potest, quò minùs erumpat in actum. Loquor autem de homine, prout nunc est, non prout ante fuit. *Esse debuit*. Præterea, terminus vitæ alius est *Fixus*, quem, ut Seneca verbis utar, neq; diligentia, neq; gratia promovebit; *Alius Figendus*, qui conditionatus. *Absolon* certè vitæ finem habere potuisset alium, si non odio planè Sathanico patrem insectatus fuisset. Porrò Dist. inter id, quod fit secundum *legem communem*, seu ordinem in naturâ consuetum, & quod extraordinario modo fit, seu singulari quodam privilegio. Ubi *Fatum Theologicum* intellectum velim, per cujus dispensationem sicut hominum alij fiunt sapientes, alij moriones, alij divites, alij pauperes; Ita & alij citiùs, alij seriùs fata sua peragunt, quod hinc fusiùs exponere eminentioris Facultatis prohibet reverentia. Ex his hactenus dictis colligere est, vitæ humanæ terminum certum esse ac necessarium, atq; adeò fatalem (*cave tamen intelligas fatum Stoicum*) Sed nihilo scius mobilem. Moveri autem potest ob causas intervenientes bene multas, quarum catalogus sequenti jam tradetur capite.

## CAP. IV. DE TERMINI VITÆ DECUR- TATIONE.

QVemadmodum nec uno nec simplici mortis genere defungimur omnes, ita nec iisdem de causis. Alia mors est *κατὰ φύσιν*, alia *ὑπὸ φύσιν*. Illa fit rupto nativi caloris & radicalis humoris vinculo, ut jam non semel dictum. Hæc pro diversitate causarum varia est. Causarum autem, aliæ sunt *supernaturales*, quas tradunt Theologi; aliæ *præternaturales*, seu, ut Medicorum termino utar, *non naturales*, de quibus nunc jam dicendum.

1. Nemini non constare potest *Ærem*, in quo & per quem spiritum ducimus, ex cœli conditione vel turbatum vel placidum, seipsum insinuare

insinuare in corpora nostra, ex cujus deinde adflatu, sive noxio sive salubri, in utramq; partem vehementer afficimur. Et verò multas ambiens hic aër supernè atq; infernè patitur impressiones: indeq; est, quòd constitutio ejus sæpe mutetur; infernè quidem à vaporibus & exhalationibus, è terrâ & aquâ surgentibus; supernè verò à siderum influentijs. *Purus* itaq; putredinis & infectionis expers, *optimus* habetur; *vitiosus* contra stagnantium aquarum vaporibus inquinatus, aut alijs venenatis atomis affectus. Præterea, aër alius est *calidus*, alius *frigidus*, alius *humidus*, alius *siccus*: quam mutationem locorum parit diversitas. Afficit autem corpora nostra aër, non tantum quatenus inspiratione attrahitur, sed quatenus per cutis quoq; poros irrepit. Ac ab aère quidem bifariam est causa mortis; puta quia is, vel *nullus* est, vel *noxius*. Deficit enim aëre populesticis & laqueo strangulatis; quales moriuntur, quia aër, qui Calorem cordis refrigerare deberet, attrahi nequeat, Spiritus meatibus obstructis. Atqui jure nisi sit refrigerium, geminatur calor internus, subitòq; humorem omnem devorat. Attrahitur verò inconveniens aër, si vel nimis *calidus* sit, vel *corruptus*. Priori modo, moriuntur plurimi in balneis, ubi non omnimoda quidem absentia aëris est, sed saltem frigidi. Posteriori modo, quam multiper eunt, etiam valentes & robusti, dum per aëra meant venenatis halitibus refertum? Imò contingit non rarò, ut hi duo modi circa mortem unius hominis concurrant. Appianus testis est, *Lutatium Catulum*, accensis prunis in cubili undiquaq; concluso, & tectorio civ. calcis recentis obducto, sponte sibi ipsi vitam finisse. *Cesarem* quoq; *Jovianum* suorum perfidiâ simili fato interentum esse, narrat Ammianus Marcellinus. Adeò aër quidem, dum est temperatus ac clarus, neq; substantia extranea, complexionis Spiritus contraria, ei admiscetur, est sanitatem efficiens, & ipsam vitam conservans: Cum verò mutatur, suæ operationis contrarium operatur, ut graviter differit *Avicenna*.

2. Ceterioris quoq; mortis periculum metuendum est, vel ex defectu pabuli, vel excessu, vel vitio ejusdem. Ac defectu quidem ante diem obire solent, quibus non suppetit, quo famem propulsent. Excessu verò, qui nimia cibi potùsq; congestione strangulantur. *Vitio* autem alimenti excedunt hydropici, quibus humidum aqueum est pro lento & oleoso; nec non illi, qui cibos, assumunt & poros

Jonstons  
Idea Hygstein  
lib. 1. cap. 1.

Horslius Mar  
nud. ad Med  
part. 2. Sect. 1.

Lib. 1. de bel  
Lib. 25.

Fen. 2. Do  
2. cap. 1.

quos concoquere non possunt, sive ob naturam eorum, sive ob imbecillitatem caloris nativi; & deniq; quos aconiti, aut alius enecat vis veneni. Et certè Luxurià vix ullum foedius est vitium, neq; damnosius; quippe quâ non corporis modò, sed & animi vires expugnantur. Rectè Plutarchus: *Cibi onerosi multarum aegritudinum sunt cause, quæ inde vitam hominis breviorē reddunt.* Demergitur navis nimium onerata; Sic & homo, nimia Ciborum saturâ onustus, mortem sibi accelerat. Scimus dolia ipsa musto gluvies? *Diogenem Cynicum*, cum crudam comedisset sepiam, aut *πολύποδα*, continuo mors oppressit. Et quid aliud lucrantur sibi

*proceres gula*, quibus omnia indiscriminatim grata sunt, quàm ut vires opprimant, & stamina vitæ suæ incidant atq; abrumpant? Neq; enim citra noxam varium hujusmodi alimentum à fastidientibus stomachis expetitur, quia turbulenta & inæquali concoctione inquinat magis quàm alit. Eadem fata expectant illos, qui cum *Plautinâ vetulâ*, odorem quemvis vini cupidissimè sectantur, ac subinde ingeminant illud: *Da vicissim meo gutturi gaudium.* Item, *sine ductim invergere in me liquores.* Fatendum equidem est, & cum *Scripturâ: Vinum letificare eor,* &c. & cum Galeno: *nativum calorem hoc idem adaugere.* Sed immoderatiùs potatum, quàm ut vinci possit, tantum abest, ut animulam calefaciat, ut etiam frigidiora vitia gignat. Non igitur præter rem est, quod *Salernitanæ* Anglorum Regi scripserunt:

*Si vis incolumem, si vis Te reddere sanum,  
Parce merò, cæ nato parùm, non sit Tibi vanum. & post pauca:  
Hæc bene si serves, Tu longo tempore vives.*

*Καθόλα μὲν εἶπεν*, Mortem accelerant alimenta; (a) *Aliena* à corporibus nostris, ut venena. (b) *Immoderata*, quippe quæ non reficiunt, sed enervant vires. (γ) *Non suo ordine adsumta*: multum enim refert, nè ea, quæ tardiùs concoquuntur, priùs comedantur illis, quæ faciliè putrescunt. (δ) *Non tempori ætatiq; convenientia*: De ciborum delectu consulantur Medici. (ε) & deniq; *Varia*, de quibus supra.

3. *Dietæ* subita permutatio quid heic præstet, non ignorant eruditi; multi quoq; rudes idipsum suo maximo cum periculo edocuti sunt

Et sunt. Consuetudinis quippe magna vis est, cum naturam ipsa imitetur, & sit altera natura. Hinc est, quod transgressio à consuetudine non fiat, nisi maximo cum periculo: imò subita etiam in melius transmutatio noxia esse solet. *Ælianus*, quid cause tur diætæ neglectus, *Tachi* cujusdam *Ægyptij* exemplo declarat: hunc enim dicit, donec vernaculo usus est victu, omnium hominum fuisse sanissimum; Sed simplicitatem victus cum delicijs Persicis permutantem, cum non posset insolentiam delicatissimorum ciborum ferre, in dysenteria vitam transegit, & luxuriam cum morte commutasse. Rectè iterum *Salernitana* svadet *Schola*:

*Omnibus adsvetam jubeo servare diætam;  
Quam si non curas, fatuè regis & malè curas.*

4. *Excrementitiarum* quoq; particularum retentio valde nociva est. Sunt autem *περτωώματα* (ut hoc ex Medicis, pace illorum, mutuari liceat) partim *halitiosa*, ut flatus ventris & fuligines; partim *humida*, ut fœces, urina, sudor, mucus; partim *seca*, ut sordes cutis, fœces aridæ; quædam deniq; *quantitate maximè molesta*, ut sanguis menstruus foeminarum, semen & sanguis item superfluous in viris. Ex *ventre suppresso* inflammationes, caligines, capitis dolores, aliq; superioris partis mala crescunt. His deniq; supervenit *τεινεσμός & ἀνορεξία*, *Latinis appetentiæ amissio*. Memorat *Wossius*, Senatorij ordinis quendam amplissimum virum, sibi eorum & dum viveret, familiarissimum, lotio retento, paucos intra dies decessisse.

Unde & *Stoicorum* erat opinio, flatus ventris non minus liberos, quàm ructus, esse oportere. De *seminis retentione* quid attinet heic loqui? suffecerit saltem unicum illud *Michaëlis Verini* exemplum designasse, quo de sic canit *Poëta*:

*Ne se pollueret, maluit ille mori.*

5. Sunt & aliæ *accidentales cause*, quæ corripere vitam adsolent, utpote 1. *Motus vehementiores*, & *otij nimia dulcedo*. Quadrat huic illud *Catonis*, cujus meminit *Aulus Gellius*: *Vita*, inquit, *humana* propè uti ferrum est. *Ferrum si exerceas, conteritur; Si non, rubigo tamen interficit.* Item, *homines videmus exercendo contereri; si nihil exerceas, inertia atq; torpedo plus detrimenti facit, quàm exercitatio.* 2. *Somnus & vigilia*, ubi *intemperantiores*. Non tru-



stra somno nos fallere tantum temporis voluit natura. sicut enim plurima alia destinavit nobis sanitatis ac vitæ conservandæ adjuvamenta; ita & somni nobis distribuit tempora. Si verò immoderatus hic fuerit, cum Veteribus eundem dixerō *viam esse ad mortem. Consentientem heic habeo Senecam: Somnus, inquit ille, refectio datus est; hunc si per diem noctemq; continuaveris, mors erit.* Ac proinde, de tempore ac modo dormiendi, non frustra præcipiunt Medicam scientiam professi. Vigiliæ verò, cum totum corporis habitum siccent, ut testatur *Galenus*, Spiritusq; diminuant, sanitati sunt infestissimæ. Hinc *Poëta*:

*Quod caret alternâ requie, durable non est:  
Hæc renovat vires, fessaq; membra levat.*

3. *Animi ταραχῆς*: quæ quia *οὐρανίωσα* varia concitant in Corde, Spiritibus atq; humoribus, sic ut opinione citius hominem extingvant. Præ *Gaudio Philippides Poëta*, cum in certamine Poëtarum præter spem vicisset, repente extinctus est. Præ *dolore Ruricius*, auditâ fratris consulationum petentis repulsâ, illico concidit. *Grammaticum* confestim in morbum Comitalem incidisse, testis est *Galenus*. *Nervam* quoq; *Imperatorem* ira interemit. *Meticulosos* vel unia nox canos reddidit mortiq; vicinos. Confer. *Valerium Maximum* lib. 9. c. 12. & *Schol. Salern.* Cit. c. 1.
4. *Temperamentum corporis per generationem ex parentibus in liberos transfusum*. Etenim juxta *Medicorum principum*, ex pituitoso patre filius nascitur pituitosus, ex bilioso biliosus.
5. *Pravum vitæ regimen*: Plures quippe enecuit *inepta institutio*, quàm sive *pestis*, sive *gladius*. Et tantum de causis, tam naturalibus, quàm moralibus, vitæ telam abruptentibus. Nunc paucis demonstrandum, Vitam nostram prolongari posse, & quibus medijs.

## CAP. V. DE HUMANÆ VITÆ PROLONGATIONE.

Quemadmodum Sanctissimum illud Numen Justorum dicitur consummare & perficere soleat, norunt sacra edocti elogia: Mihi i verò constitutum heic est ostendere, numne, adjuvantibus etiam alijs

alijs, præter supernaturalem, causis, vitam hum. produci possibile sit? idq; sic probatum eo.

I. Rejuvenescere cernimus quosdam *probos ac pios*, quorum ultima senectus jam ante defecit invalida. Imo & quosdam ipse novus, quorum maxima, & quæ optima haberi solet, vitæ pars, nil nisi morbus fuit, in ultimos usq; ætatis hum. terminos processisse, & hodiernam expectationem suam vivendo superare. Memini & ipse, me sub *magno cujusdam Theologi* prædicatione publicâ, in Acad. hac nostrâ audivisse: *Pium valetudinarium ad extremam quoq; senectam pervenire*; quod & communem loquendi usum redolet. Hæc igitur pietatis ac probitatis prima laus est, quod cultores suos non modo beatos, sed & longævos præsent. *Sed dices: Quorsum heic de pietate? Resp.* Ethicus Christianus iste pessimus est, & ferè non de pietate? *Resp.* Ethicus Christianus iste pessimus est, & ferè non Christianus, qui hanc virtutum omnium Reginam non semper maximi facit, & reliquis omnibus anteponit. Clamat natura Deum esse colendum, esse bonum, esse justum. Ethici ergo erit, de officijs pietatis Deo debitis præcipere. *Quid? Pietas & Probitas duæ sunt illæ faces, quibus aditum nobis paramus, tum ad præsentis vitæ tranquillitatem, tum ad futuræ felicitatem. Vis Numen Tibi facile & propitium? pietatem cole. Vis longævitatem? Deum amabis, Deum timebis.* Agnoverunt & coluerunt hanc virtutem Ethnici, *Aristoteles, Seneca, Cicero* & gentilium omnium religiosissimus *Epietus*; qui quid de religione sentiat, videri poterit *Enchiridio* Ethico Cap. 38. Ipse *Alstedius* distinctè super hæc re mentem suam exponit. Sic enim ille: *Pietas* bifariam considerari potest: 1. *communiter*, & sic est virtus moralis. 2. *Quatenus est singulare peculium Christianorum*, & sic virtus est Theologica. *Tantum dico*: Helleboro opus habet, quisquis *pietatem* moralem negaverit esse virtutem.

II, *Quod* jam de virtute Morali in genere dixi, *Speciatim* etiam de studio *Temperantiae* dicendum erit. Graviter more suo dicit alicubi *Cicero*: *Nulla capitalior pestis homini à naturâ data est, quàm voluptas.* In hoc enim homines amplectitur, ut strangulet. *Frugalitas* verò bonæ valetudinis quasi quædam mater est. Rectè *Poëta*: *Vivitur parvo bene, cui paternum splendet in mensâ tenui salinum* &c. *Luxuriam* supra dixi filum vitæ incidere; *Temperantia* igitur longævitatem promittit. *Contrariorum Consequen-*

Prov: Cap. 31  
vers: 1 & 2  
Conf. Andr.  
Ofiand. ans  
not. ad: Psal.  
102 v. 25

Conf. Excell.  
Isti. M. Axel.  
Kempes Phil.  
Mor. cap: 4

Encycl. cõp.  
Eth. p. m. 1226

Vendelinus  
Phil: Mora.  
l. i. c. 7. q. 1.

Cat. Maj.  
Seneca Ep. 51.  
Val. Max.  
Horatius  
Carm. l. 2 od.  
16

Meisnerus  
Dissert. de  
Leg. l. 2. de  
Leg. iter. q. 5

Confer Cælii  
Rhod Lect  
Ant. lib. 21.  
& lib. 28

Item  
Job. Locen.  
de victu ver  
terum Sveoz  
Goth: lib. 2.  
Antiq: Sveoz  
Goth: c. 21.

Ovidius

Plautus in  
Pœnuli: Act.  
1. sc. 2.  
Seneca l. 3.  
de Ira c. 9.

*zia est contraria.* Intexam heic b. Meisneri, gravissimi istius Theologi, de *longevitate hominum*, sententiam. Terminus vitæ humanæ, ait, generaliter consideratus, quoad duo præcipua temporis momenta æstimandus erit: cum ante, tum post diluvium. Ibi terminus à Deo longior; heic brevior est constitutus; Ibi homines viverunt ad aliquot centum annos; heic attinguntur tantum 70 vel ad summum 80 anni. Ibi causæ longævitatatis fuerunt, *peculiaris Dei benedictio, euxeogia & temperamentorum præstantia origini suæ adhuc proxima, loci commoditas, aëris salubritas, victus simplicitas, & deniq; temperantia:* Heic causæ brevioris vitæ sunt, *gratiæ subtractio, duxeogia, impuritas aëris, ciborum varietas, & præcipue intemperantia.* De præscorum seculorum frugalitate videatur Val. Maximus l. 2. c. 5.

III. Multum quoq; juvant corporis exercitia liberalia, tempestiva, moderata. Ut enim ventilatio paleas è tritico, & spicas inanes flatu dispellit; Ita exercitatio fugat noxios è corpore humores, torpentem insuper in nobis excitat calorem, eoq; & Spiritus reddit vegetos & alacres. Non igitur frustra est, quod tam seriò Veteres commendent *luctas, cursus, pugilatus, saltus, jactus disci, saxi & jaculi:* Videmus ipsi, *desides aquas* putrescere & acescere, sed acrioribus ventis motas nativum retinere dulcorem. Idem & nostris contingit corporibus: Agilia sunt & valida, si continuis exercentur motibus; emollescunt & enervantur quiete longiore. Utrumq; ingeniosè expressit: Poëta:

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus!*

*Ut capiant vitium, ni moveantur, aque!*

Delectus modò habendus erit exercitiorum. Spectat huc illud: *Omnia suo tempore.* Item hoc Plautinum: *Modus omnibus in rebus optimum est habitus: nimia omnia nimium exhibent hominibus negotium ex se.* Cæteroquin immoderata si fuerint, consumunt quicquid in nobis mite placidumq; est.

IV. Medicamentorum deniq; usus non est ignobilis. Neq; enim credibile est, sapientissimum Creatorem frustra, & non in insignes hominis usus tot herbarum produxisse species. Ut omnia, sic & herbæ homini famulantur, homini profunt; quædam *immediate*, quædam *mediate.* Tradunt naturalis scientiæ periti, *herbarum alias esse*

*esse alimentosas, alias medicamentosas, alias mixtas, alias neutras.* Ex omnibus homini lucrum, ex singulis aliquis usus. Ridendi ergò sunt illi, qui, præter fas & rem, remedijs ac medicamentis uti liberum esse negant. Quorsum Paræneses *Salomonis & Syracida,* si hæc nobis tollatur libertas? *Sed inquit:* Deus est, qui nos sanat; Ergo totum illi committendum negotium. *Resp.* Benè mones: nec alia mihi mens est. Interim scias, causam *principalem* non excludere *minus principales,* nec causam *primam* coëfficientiam negare *secundis.* Neq; enim semper immediatè operatur Deus, sed quandoq; pro liberrimâ suâ voluntate, medijs naturalibus utitur. Duo tamen heic animadversione digna sunt, quorum unum ad *Medicum,* alterum ad eum, *qui Medicâ ope indiget,* pertinet. Quod *præ* attinet; id aget imprimis Medicus, ut de valetudine illius, cuius curam suscepit, seriò sit sollicitus, alioquin facile animam suam perdet. Enimverò fit non rarò, ut, contententibus de naturâ morbi medicis, æger interea pereat. Hinc est, quòd homicidæ audiunt medici. Sed hæc de ineptis, & falsò titulum hunc sibi emendicantibus, accipienda velim, non de ijs, qui de artis suæ principijs certi sunt. Quod *posterius* spectat, tenetur omninò is, qui plenâ voluntatè sanitatem amat, in Medici præceptis naturalibusq; remedijs totus acquiescere, ita tamen, ut Deo, qui optimus medicus est, maximè confidat. Quod si fiat, audeo polliceri, & huic voti sui complementum, & illi laboris impensi felicem successum. Et tantum nunc quidem.

**Auctor vitæ impertiat piis omnibus vitam  
longam, felicem & honestam!**

*Tu verò, Lector æqui amans & recti, nostri hæc dum legis, nè obliviscare Tui. Si quid humani heic passi sumus, humano modo id ipsum agnosce, castiga item. In infido vado subito errare contingit, præsertim obscuro jam nubibus cælo. Cogita, non Deos, sed homines nos esse, atq; adeò nec impeccabiles. Si, quod volumus, assequuti sumus, id probare Tuum erit; Si non, Tua id supplebit humanitas. Ceteros non moramur, quibus thesaurus iste in lingvâ Scalamo situs est, malè loqui & scribere de melioribus. Boni ac cordati semper ita sentiunt, fallacem esse Criticam, & signoscendum esse, si labantur fortè quidam in difficultè viâ.*

Obj.  
Resp.

Votum.

# APPENDIX

## Selectiorum Philosophicorum Axiomatum.

Metaphysic  
cum.

**N**egatio supposititalitatis sicut non tollit ipsam essentiam,  
ita nec statim infert imperfectionem.

Physicum.

Quemadmodum animantium plantarumq; corpora suam  
habent juventutem, suam senectutem; sic interioris telluris  
partes, nunc decrescunt, nunc accrescunt.

Pneumaticis  
cum.

Quod potest corpus, idem & potest spiritus, quippe qui hoc  
longè nobilior est atq; perfectior.

Arithmeti-  
cum.

Falsò dicitur Unitatem esse individuum.

Geometricis  
cum.

Angulus rectus est magister Geometriæ.

Opticum.

Visibile simplex videtur quandoq; geminatum.

Musicum.

Musica harmonica prior est organicâ.

Astronomicis  
cum.

Luna non omnem, quâ splendet, à sole mutuatur lucem.

Geographicis  
cum.

Globi Terreni magnitudo, utut sit vastissima, mensurabi-  
lis tamen est.

Architecto-  
nicum.

Ratio ædificandi, quæ ex S. Scripturâ haberi potest, nec  
sola, nec semper, nec ubiq; est imitabilis.

Ethicum.

Certissimus juris naturalis character est immutabilitas.

Politicum.

Leges Politicæ & obligant, & non obligant conscientiam.

Oeconomicis  
cum.

Conjugium feliciter initurus, sit *Fabius* potius *Cunctator*, quàm  
*Papyrius Cursor*, aut *πράξω ἀπὸς Ἀχιλλεύς*: quia utcunq; *Tu sis  
mea*, & *Ego sum Tuus*, sit brevis *Cantiuncula*, longum tamen  
habere solet *Epiphonema*.

TANTUM.

Ἐυλογία αἰώνιος τῷ ἀεὶ ζῶντι Θεῷ!